

Fol. 9. a. lin. 23. post tenorem, U. Gall. re-
ponatur. fac. b. lin. 1. post, consensum, & comple,
atq; consortium me. lin. 4. vocalis η ne vel i.

Fol. 10. a. lin. 16. post, omnia, (,) signetur
b. lin. 20. balatus.

Fol. 11. fac. b. lin. 23. Et provoc.

Fol. 12. a. lin. 12. l. pronunciat. lin. 19. l.
schēmen. b. lin. 7. leg. quia. lin. 20. l. Graca-
nicis.

Fol. 13. a. lin. 6. post reperimus (,) lin. 9.
l. nostr: avo. lin. 19. l. in German.

Fol. 14. a. lin. 1. l. De cetero η. p. lin. 12.
post arguunt, (,) b. lin. 5. post innuas (:) lin
8. l. fictio.

Fol. 15. a. lin. 9. l. syllaba ead. b. lin. 20. l.
natura. lin. 23. l. aliquibus.

Fol. 16. a. lin. 7. l. Aimilius. b. lin. 1. l. no-
voveteri, unica voce.

Fol. 17. a. lin. 15. post: Lingua, dele (,) &
post, callemus (,) repone. b. lin. 8. post rati-
onem (,)

Fol. 18. a. lin. 10. post fuit (,) pon. lin. 14.
l. edita.

Fol. 19. b. lin. 15. post, delibemus (:) pon-
atur.

Fol. 20. a. lin. 11. l. quis non abominetur,
b. lin. 9. l. earum.

8.
Q. F. F. Q. S.
DISSERTATIO
De
STUDIO HONORIS,

Quam
Ex Amplissimi Senatus Philosophicæ
consensu, & auctoritate, in Regia
Academia ad Embeccam Li-

voniam,

Sub PRÆSIDIO

Viri Amplissimi atq; Celeberrimi

OLAI HERMELINI,

Profess: Eloq; & poet:
Publico placidoq; examini modesto
submitte

CAROLUS UNDEN,

West-Goth:

In auditorio majori Anno MDCXCI.
d. Aprilis.

DORPATI,
Typis Johannis Brendeken,
Acad. Typogr.

*Plurimum Reverendo, Prudentia
Viris ac*

M. TORBERNO FEGRÆO,

Pastori in HORN meritissimo, nec non
Ecclesiarum adjacentium Prapo-
sito vigilantissimo.

ANDREÆ MURÆO,

S: R: M: à rationibus
accuratissimo.

Ayunculo, Fautoribus, Consanguini
eterno observantiæ

*veramq; politicaram usq; conspiciis
Dominis*

VVILHELMO SILENTZ,

S: R: M: Quætori
fidissimo.

ARVIDO GROTTË,

S: R: M: per Livoniam Geodetæ
perindustrio.

neis, Studiorumq; meorum Patronis,
cultu prosequendis.

*Salutem & prosperitatem
perennem!*

Quanto amore, quan-
toq; favore, me sem-
per fuistis prosequu-
ti, testantur permul-
ta illa, & planè paterna mihi
à Vobis præstita beneficia;
Testantur hoc ipsum ad stu-
dia continuanda necessarij
sumptus quam liberalissimè
suppeditati: Quæ accedunt
adhortationes & salutaria
consilia ad aspera quævis eni-
tendi. Quo ipso ad cujusli-
bet generis virtutes, commo-
dâ mihi præivistis semitâ,
mon-

monstrando ad illas viam
minimè anfractuosam, do-
cendoq; quam benè mihi
meisq; studiis consultum vo-
luistis. Qua propter cum
tanta à vobis præstita studio-
rum meorum adminicula,
gratum à me animum repo-
scent, vobis refero illam,
quam solam nunc literis va-
cans possum, gratiam, offe-
rendo nimirum has studio-
rum meorum primitias, non
quod illis beneficia vestra æ-
quari credam, sed quasi indu-
bitatas testes, grati animi co-
natum indicantes. Nullus
dubito, quin quidquid in
A; hoc

hoc est studii, placido vultu
sitis accepturi, meq; ut antea,
ita in posterum benigno Ve-
stro amori & favori com-
mendatum habituri. Com-
modior occasio & maturior
aetas meliora, Deo annuente,
dabit; qui sua vos tutela,
cum Carissimis vestris Con-
jugibus, diutissime incolu-
mes praestet. Valete.

Carolus Unden.



Adsis ô Deus.

Thesis I.

Thematis de Studio
HONORIS telam pertexturi,
priusquam rem ipsam seu
παραμασολογίαν attingamus,
breviter ipsarum vocum originem sen-
sumq; exponere necessarium cense-
mus. Studium itaq; á studendo de-
rivari, quemvis non ignorare existi-
mamus. Honor vero, seu ut vete-
res scripsere onor & onos ab ^vονω seu
^vονησι, i. e. juvo, profum, descendit:
unde ^vονω afinus, quia mortales egre-
gie juvat & prodest. Vel ^vονω ab ^vωνω
oriri potest, quod pretium significat,
primo tale, quo rem mercantur emen-
tes:

res: Vel secundo honorem; quomodo dicimus eum in pretio esse, qui in honore positus est.

II.

Varie autem honorem accipi testimonia auctorum docent. Communiter pro quibuscunque virtutis premiis sumi invenimus: quemadmodum Ciceroni (a) *Honus vocatur virtutis premium, iudicio studioque civitatis delatum.* Nec ista significatio multum abludivit, quia pro observantia, cultu, & externis reverentiae signis ponitur: ut (b)

Semper honore meo semper celebrare donis.

Quomodo apud Ethicos honor honorantis dici consuevit. Hinc fit, ut per metoniam adjuncti pro subjecto ipse magistratus munusque quod gerit, hoc nomine indigitetur: quo modo etiam conjunctae hae voces reperiuntur:

(a) de Claris orat: Cap: 81. (b) Virg: Aen: 6.

tur, apud Svetonium: (c) *Magistratus honoresque, & ante tempus, & quosdam novi generis perpetuosque cepit.* Quin denique Honor pro sepultura, pulchritudine sacrificiisque non infrequenter positus legitur. Nos ad priora maxime attendimus.

III.

Est igitur **STUDIUM HONORIS, PER VIRTUTEM DIGNITATIS ET EMINENTIAE AFFECTATIO.** Hic statim illis obviamus, qui vel ambitionibus, vel muneribus, vel alia quacunque illicita via ad honores & dignitates evehi student, dum statuimus progressum ad eminentiam per virtutem & experientiam unice fieri debere. Nam plus satis constat, illum provinciam suam feliciter sustinere non posse, qui ad eandem non virtute & rerum cognitione, sed muneribus tantum & largitionibus evectus est: contra autem

AS

ccc

(c) vitâ Aug: 26.

cernimus, eos felici cum successu suo
fungi officio, qui sola virtutis via, &
ut dicere consuetum est, per aspera &
ardua ad aliquem dignitatis gradum
pervenerint.

IV.

Hujusmodi homines, qui multo
labore & sudore bonam de se famam
sparsere, non immerito premiis qui-
busdam a Magistratu ornantur. Quod
non solum apud veræ religioni addi-
ctos, verum etiam apud prophanas
gentes maxime usu receptum fuerat.
Absq; hoc si foret, nullam honesta-
tem, nullam verecundiam, nullum
deniq; virtutis studium in communi
societate invenires. Præclare enim
Valerius Max: (d) Honorem virtutis
alimentum vocat. Et Sall: (e) Glo-
riâ industriam alii dicit; quam si dem-
seris, ipsam per se virtutem amarant
atq; acerbam esse. Eo scilicet impen-
ditur

(d) Lib: 2. c. 5. 5. (e) Or: 2. de ord: Reip:

ditur labor ac periculum, unde emo-
lumentum ac honos speretur (f)

(g) *Nec facile invenies multis in millibus
unum,*

*Virtutem precium qui putet esse suis
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non moriet, & gratis pœnitet esse
probum.*

Spe igitur præmiorum & studio ho-
noris, homines certatim ad virtutes
sectandas alliciuntur; non aliter ac o-
lim in certamine Olympiaco, ob co-
ronam propositam summopere anni-
tebantur, ut victoriam obtinere pos-
sent.

V.

Considerantur vero præmia ist-
hæc dupliciter. Vel in donativis con-
sistunt, prout summus magistratus non
solum pecunias aliamq; supellectilem;
verum etiam prædia & perpetuas ali-
cujus

(f) Liv. Lib: 4. 25. (g) Ovid: Pent: 2. 3.

cujus rei possessiones in cives, de Republica bene meritos, erogare solet: Vel in aliis quibusdam signis externis; quæ ratione virtutum cultores, magnis in Republica officiis præficiuntur; peculiaribus etiam insignibus ornantur, ut sunt, Coronæ, tropæa & statua, quæ omnia pro varietate gentium multum variant. Quo pertinet etiam gradus nobilitatis; qui est honor certis familiis vel peculiari personæ ob virtutem bellicam vel togatam, à persona jus Majestatis habente collatus. Egregium sanè institutum! Cum enim Respublica non semper pecunia posset esse instructa, in bene meritos eroganda, præmiis omnino carerent cives, iisque orbi à virtute avocarentur, nisi alia incitamenta & stimuli ad virtutis studium excogitata essent; in quem sensum rectè dicitur: à Republica nos non ditari, sed honorari oportere. Sic enim virtus nunquam sine premio erit: nec Reipublicæ unquam deesse poterit materia bene meritos

ritos remunerandi: Sicut in publica lectione differentem audivi Præsidem hujus dissertationis.

VI.

Nemo igitur hic dubitare potest, quodnam honoris sit fundamentum? Non opulèntia, quæ per se nec bona nec mala moraliter est, adeoque veri honoris causa esse nequit: quamvis apud veteres Romanos aliter constitutum fuisse sciamus. Nec splendor generis: de quo infra. Nec potentia sola, cum etiam illa pessimis adesse potest. (b) Multo minus insolens vestium luxuria, damnata à Deo, & profligata à recta ratione: sed sola virtus. Ea duplex statuitur: Togata, quæ bonus civis tempore & pacis & belli elucet; namque non ideo togata appellatur, quod solummodo cum omnia in quiete fuerint, exercetur: potest enim quis flagrantibus maximè bellis,

(b) vid. Hobbes. de cive 15. 9.

bellis, licet rei militaris ignarus, do-
mi virtuti operam dare. Altera mi-
litaris, quæ à bono milite per facta
bellica ostenditur. Utramq; comple-
xus est Cic. in Orat. pro Muræna duæ
inquiens, artes sunt, quæ possunt lo-
care homines in amplissimo gradu di-
gnitatis: una imperatoris, altera ora-
toris boni. Ventilari forsitan hic pos-
set quæstio, num magis honorandus
est dives quam pauper. Ubi primum
dispiciendum putamus, an in utroq;
par sit virtus, par experientia. Quæ
si in utroq; adfuerint, non ratio appa-
ret, quare iste huic præferretur: præ-
sertim cum id contra dictamen rectæ
rationis esset, honoris fundamentum
in sola virtute collocantis. Præterea
diligenter est considerandum, quò quò
modo istas consecutus sit opes, iis-
demq; utatur. Quò intuitu non ma-
le Thebani à Republica mercatores
excluebant. (i) Fatemur tamen Rei-
publicæ interdum expedire, ut in ho-
nori-

(i) Aristot. pol. 3. 3.

noribus demandandis divitiarum ha-
beatur ratio, præsertim in onerosis,
quales sunt legationes aliq; ejusdem
naturæ. Quò forte ex parte respexit
lex patria. (k) Dictum autem Jacobi (l)
quod allegari solet, huc non spectare
putamus, cum illud æqualitatem po-
tius in Ecclesia servandam jubet.

VII.

Mentionem supra fecimus virtu-
tis togatæ, quæ non immerito hono-
ris civilis fundamentum statuitur; ad
quem evehi solent, qui insigni aliqua
præstantia & perfectione imbuti sunt.
*Talia sunt (m) perspicacia mentis, & capacitas
animum variarum rerum notitiâ excelsi,
maximè ubi actu illa fuerit impleta: Idone-
um circa res gerendas & discernenda ambi-
gua judicium: Animus firmus & incoatus-
sus, illecebriq; & terroribus superior. Fa-
cilitas decore & copiosè animi sensa expli-
candi.*

(k) Cap. 31. in prin. Tingb. L. L. (l) 2. 2.

(m) Pufend. 7, N. 8. 4. 12.

eandi. *Et plurima alia, non solum ani-*
mi, verum etiam corporis bona. Nam
& hæc non parum faciunt ad opera-
tionem virtutis, quâ unicè viam ad ho-
nores assequendos nobis patefacere de-
bemus.

VIII.

Succedit gradus Academicus, qui
est honor vi potestatis à majestate con-
cessæ, ob virtutem præcipuè intelle-
ctualem merentibus à Senatu Acade-
miæ collatus. Cernimus proinde non
quosvis sine differentia ad hunc gra-
dum admittendos: verum solummo-
do illos, qui eundem promerentur;
hoc est, qui magno & assiduo labore,
studio atq; experientia sese eodem di-
gnos reddidere. Propterea nec vili
pendendus est hic honor, siquidem
Patres Academici, eundem non pro-
pria auctoritate, sed jussu & permissu
summi magistratus personis idoneis
conferunt; imo à principibus viris non

raro

expetitus, ut integra oratione
ostendit Kirchnerus.

IX.

Sicut in benè ordinanda Repu-
blica duo præcipuè status inveniuntur,
Doctorum scilicet & Bellatorum: ita
ambo maximè commendari meren-
tur. Doctrina enim tempore & pa-
cis & belli utilis est: Fortitudo autem
tempore belli. Duæ hæc sororiz qua-
litales eximium quoddam Ens morale
gignunt, quod nobilitatem appella-
mus: & ambæ collineant ad unum
scopum, reipublicæ videlicet utilita-
tem. Doctus, ceu nauclerus pru-
dens, dirigit reipublicam salutari con-
silio, & à futuris periculis, pandens
vela suæ prudentiæ, abducit. Belli-
cosus vero miles insurgentes pericu-
lorum fluctus, impetusq; hostiles ex-
cipit frangitq;. Unde à matre sua
Republica idem laboris reportant præ-
mium, nobilitatis honorem.

B

rum

rum nomine militis non quivis nobis venit indifferenter. Non is, qui præceps ruit ad arma, ceu ad partum quendam liberalem: nec is qui prædæ spe concepta, effusionem alieni sanguinis quæritat: multo minus honorarium militis titulum iis largimur, qui postquam sub vexillo aliquem locum nacti fuerint, inani superbia tumescunt, quasi tunc illis licitum esset omnia pro lubitu facere, & prædonum instar grassari crudeliter ac impie in bona & fortunas civium. Sed militum nomine illos putamus, qui amore & studio juvandi patriam, desiderioque bonæ famæ exardescentes, adjungunt se aliis, pectora sua multitudini hostium opponentibus, ibique aliquid memorabile præstant. Talis fortitudo crebris actibus declarata, gradum sibi ad nobilitatem parat.

X.

Peccant autem qui nobilitatem
solum-

solummodo ad externa bona alligant, puta literas & privilegia principum, fumosas majorum ceras, opesque longo tempore congestas, atque sic eruditionem è ferie causarum nobilitatis explodunt; cum eruditio, si paulo pressius ejus vim perpendamus, non modo insigniter ornet nobilitatem, sed eam etiam producat atque perficiat. Hujus sententiæ nostræ non leves sese offerunt rationes, ex quibus palmariam hoc loco saltem producemus. Libertas proprium est, & essentielle accidens nobilitatis. At per artem consequimur libertatem. Assumptum probet Piccolomineus (n) inquit: *Hæc præclara nobilitas arcto necessitudinis nodo cum libertate est conjuncta; nam si ad totum universum nos converterimus, inspicimus Deum, ut eminentissimè liberum, ita eminentissimè nobilem. Ei succedunt Angeli qui participatione quædam, ut nobiles, ita liberi refulgent. Homo similiter, nisi liberi arbitrii esset particeps, non esset compos nobilitatis;*

Bz

Et

(n) gradu 8. Cap. 18.

Et inter homines, illi qui in urbibus quasi in parvis orbibus sunt legitimi principes præclarique cives, etiam una cum imperio, maxime libertatem tuentur & servant. Et jure profecto! cum enim virtus est proles & parens nobilitatis, virtus autem libera & domina sit; viri quoque nobiles & ingenui, liberiores censeri debent cæteris, ingenuaque libertatis magis amatores; adeo ut nobilitas una cum libertate oriatur, crescat & perficiatur; virique nobiles etiam sub tyranno & in carceribus detenti liberi sint. Hætenus Piccolomineus. Assumptio vero probari potest ratione & exemplis, quippe artes non alia de ratione liberales nuncupantur, quam quod hominem natura servum, liberum efficiant. Diogenes in servitute abreptus, & à Xenia de Corinthio emendus, rogatus quid teneret artificii? respondit: Novi hominibus liberis imperare. Tum Xenia des responsum demiratus, emptum manu misit, filiosque suos institutioni ejus submitit; Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes.

No-

XI.

Novimus ex superioribus virtutem honoris fundamentum esse; secundum quam hypothese videretur hic nullum generis respectum admitti posse, si modo cætera sint paria. De nobilibus autem canon politicorum circumfertur: In dignitate ut & electione ad dignitatem nobilis præfertur ignobili. Sic enim rationem ipsam, exempla & judicia doctorum svadere putant. (1.) Verisimile est viri nobilis filium in administratione cujusvis officii eminentis, exemplo parentis incitatum secundum virtutem acturum. Veritati consentaneum est inquit Plato, (o) meliores esse naturas ex nobili genere quam ignobili; quia recordatio majorum non parum ad virtutis operationem stimulant. (p) Sic Cicero. (q) Circumstante te summa auctoritates, quæ te obvisci laudis domesticæ non sinant, quæ te di-

B3

es

(o) Platol. i. Alcibiadis. (p) Sall. in præmio Jug. Cap. 4. (q) Cic. 2, in Verr. act.

es noctesq̄ commoneant, fortissimum tibi pa-
trcm, sapientissimum avum, gravissimum
socerum fuisse. (2.) Accedit etiam con-
 sensus doctorum, quorum nomine fe-
 rant sententiam Plato & Aristoteles,
 Ille, (1) septem modos regendi Rem-
 publicam recensens, hunc in ordine
 secundum posuit, ut *viri nobiles & illu-*
stres imperent humilioribus. Hic vero (S)
 dicit, *nobiles & ingenuos sibi rationabiliter*
honores arrogare. Ubi simul vituperat
 Lacedæmonas, quod Ephoros suos è
 plebe deligere consueverint. (3.)
 Atq; ideo laudatur Romulus, quod
 prout tradit Dionis Halicar: ita suam
 Rempubliam ordinasset, ut *illustres ge-*
nere, virtute & divitiis ab ignobilibus hu-
milibusq; secerneret, illos quoq; sacra perficere,
magistratus gerere, jus dicere, ac se-
cum quoq; administrare juberet. Plebejos
 autem his muneribus solutos, agros colere pe-
 cora *questoriasq; artes exercere.* Sed &
 Atheniensium legislator Theseus,
 prout

(1) L. 3. de leg. (s) 3. pol. cap. 8.

(2) L. 2. Antiq. Rom.

prout scribit Plutarch: in vita ejus, pri-
 mum nobiles *ἐυναλιδας* à se appellatos, à
 cæteris *sejunctit*, illisq; potestatem fecit, ma-
 gistratus ex suo ordine creandi, *administran-*
diq; leges, cum pia religiosaq; interpretandi
ac definiendi. In quam sententiam nos
 quoq; proniores sumus; præsertim si
 nobilitatem à parentibus acceptam
 propria quis virtute adauxerit: ubi ve-
 ro hæc non adfuerit, quis dubitat, quin
 ignobiles in administratione officio-
 rum debent præferri nobilibus: tunc
 videlicet, cum in his sola generis no-
 bilitas; in illis prudentia & eruditio
 splendent. Probe igitur Stilicon, de
 quo Claudianus canit: (4)

Letos ex omnibus oris

Erebis: & meritum, nunquam cunabula
queris:

Et qualis, non unde factus.

Hinc Solinus scribit in Taprobane in-
 sula, in regis electione non nobilita-
 tem prævalere, sed suffragium univer-
 so-

(4) Lib. 2. v. 123.

forum: Populum enim eligere, spe-
ctatum moribus, inveterata clementia
& jam annis gravem.

XII.

Jam tempus est ut discipiamus,
an uxorem nobilem beneve dotatam
ducere expediat, ut per illam via ad
honores muniatur? Si Historiæ excu-
tientur, apparet plerumq; ejusmodi
matrimonia infaustis avibus fuisse con-
tracta. Julia Augusti filia fuerat in
matrimonio Tiberii, spreveratq; ut im-
parem. (v) Virginiam Auli filiam,
patritiâ plebio nuptam matronæ, quod
e patribus enupisset sacris arcuerant.
(x) Ulvilda Hadingi regis Danorum
filia privato cuidam Gothormo nupta,
postquam maritum convitiis ob ignobi-
litate[m] exagitasset, tandem impulit, ut
focero regnum eripere tentaret. (y) E-
xempla facile esset congerere: Verû ex
his satis cõstare potest, mulieres viris no-
bili-

(v) Tacit. An. 1. 53. (x) Liv. 19. 230

(y) SARD GRAM. l. 1. Hist. Dan.

bilitate superiores, maritos aut con-
temnere aut ad præcipitia sæpè consi-
lia transversos agere. Nam elatus
animus gloriæq; cupidus mares præ-
clara multa patrare plerumq; subegit:
feminas vero intolerabili superbia &
vanitate accendere solet. Nec aliud
magna dos effecerit; quæ quo major
fuerit, eo imperiosiores illas reddit,
ut non dubitent viris insultare, jur-
giisq; ortis eis exprobrare fortunam
tuâ maxime ope acceptam. Cum De-
menæto apud Plautum Afin: tales ex-
clamare coguntur: (z) *Argentum ac-
cepi, dote imperium vendidi.* Et cum ju-
venale (1)

Veniunt à dote sagitta,

Libertas emitur.

Absint tales nuptiæ.

Nam quis divitiis adverso gaudet amore. (2)
Bene ergo ab sapientibus monitum,
æqualitatem amicitia[m] matrem, appel-
lantibus:

Bs

Ss

(z) AÆ. 1. Scen. 10

(1) Sat. 6.

(2) Prop. 1. 16.

(3) *Si quæ volēs apte nubere, nube pari.*
Hæc tamen ita semper contingere,
non est, quod mordicus defendamus.
Neq; enim dedecet adolescentem
hac quoq; via ad dignitatem gloriamq;
grasari; præsertim cum egeat virtus,
nullisq; suffulta patronis sæpè contem-
ni & in obscuro latere solet. Qui
vero illa est instructus, quid impedit,
quin quovis honesto modo se in lu-
cem adferat? Probamus igitur factum
Agricolæ, qui ad capessendos magi-
stratus in urbem digressus, Domitiam
splendidis natalibus ortam sibi junxit;
idq; matrimonium ad majora nitenti
decus ac robur fuit. (4)

XIII.

Sequitur mercatura (puta talem
quæ cum justitia exercetur, excluso in-
justo fœnore, & atroce usura, quæ sub
prætextu permutationum vel cambio-
rum extorqueri solet) quæ quoniam

non

(3) Ovid. Her. 9.

(4) Tacit. Agric.

non facit parum ad utilitatem & con-
servationem reipublicæ, ideoq; etiam
videtur honorem aliquem promereri.
Definitur itaq; à Camerario hoc mo-
do: QVOD SIT COMMUNICATIO COM-
MODITATUM VITÆ, PROPRIARUM ET
PRIVATARUM RERUM COMMUTATIONE
FACTA. Utilitas itaq; ejus è duobus
æstimatur, scilicet superfluum ex-
portatione, & necessariorum investiti-
one. Aristoteles necessarios in re-
publ: ait esse mercatores, quod neces-
se sit in omni civitate aliquid vendi &
emi. Hincq; Tholoz. (5) *Negotia-
tores in reipublica corpore dicit esse veluti
ministros, bajulos, & pedes, qui transfe-
runt reliquis necessaria, eorū nomine maxime
utiles, & in civium numerum asciscendos si
probi suo munere fungantur.* Præstat &
alia commoda peculiaria mercatura;
qualia sunt divitiarum collectio, ur-
bium splendor & potentia, nec non
rerum multarum & maximarum ex-
perientia. Verum cum plerumq; quid
sor-

(5) Lib. 4. de Re. Cap. 7. dist. 2.

Sordium attrahat, propter fraudem, quæ hic intervenire solet, raro mercatoribus eximium aliquem honorem habitum fuisse legimus; nisi in civitatibus nimium quæstui deditis.

XIV.

Ex aliis etiam artibus & præclaris inventis honores in ingeniosos homines derivari solent. Sic Apelles, ob singularem suam peritiam pingendi, immortale sibi nomen apud posteros reliquit. Quamquam Sen. (6) pictores ne recipit quidem in ordinem liberalium, quia tantum ad delicias comparati sunt. De Dedago refertur, quod ope manuum suarum columbas volantes confecerit. Maxime etiam celebrantur & Athenienses, ideo quod plurimarum artium inventores fuerint. De quibus Justin: (7) *Primi lanificii & olei & vini usum docuere. Arago quoque & serere frumenta, glandem vescensibus*

(6) Cap. 88.

(7) L. 2. C. 6. §. 5.

sibus monstrarunt, *Litteræ certe, faciendia & hic civilis ordo disciplina, velut complum Athenas habent.*

XV.

Quemadmodum est Republica est, ut vivis bene merentibus honos habeatur; ita quoque defunctis eundem servari æquissimum est. Quem in finem statuas, Kenotaphia aliisque monumenta eorum memorie consecrare antiquis est visum: imo etiam Heroas suos principesque in Deorum numerum referre superstitiosæ pietati placuit. Præsertim observari merentur varii actus ceremoniarumque circa actus funebrales, quibus honoratorum exsequiæ à plebeis distinguebantur. Apud Lacedæmonios sepultura omnibus æqualis erat, ut tradit Heraclides in Politicis. Sed apud nonnullas alias gentes discrimen servabatur. Apud Judæos ager erat peculiariter destinatus sepul-

sepultura principum. (8) Atheniensium sepulchra vulgo erant in Eleuctris: Principum vero circa Eleusinum, ut refert Plutarch: in Theseo. Athenis enim nemini intra urbem sepiliri fas erat. (9) Quia etiam occasione, præter alios ritus, parentatione, Epitaphiis aliisque scriptis, encomia eorum, qui honeste & cum laude vitam transegerant, deprædicari solent. Quod ipse etiam Spiritus sanctus monet: *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.* (10) Huic consonat & illud Philosophorum axiomâ: *Virum laude dignum, musa vetat mors.* Versatur enim & versabitur in ore doctorum, ac si adhuc foret in vivis, temporum vetustate rubiginem nomini ejus non adferente, nec oblivione virtutem ejus sepeliente. Qui mos etiam maximè commendari meretur, nam hoc modo, non tantum iusta per-

(8) 2. Paral. 26. Cuneus de Rep. Hebr. 1. 7.

(9) Cic. Fam. 4. 12.

(10) Prov. 10. 7.

solvuntur defunctis; sed vivi quoque ad paria audenda excitantur.

XVI.

Patet proinde ex hisce breviter dictis, studium honoris, non modo utile, sed & necessarium esse. Primum, quia mortales sæpe ex conditione vili, ad eximios dignitatis gradus sublevat, opibus ditat, & post mortem gloria atque existimatione perpetua coronat. Alterum, quia multos ad egregia facinora patranda subigit, quibus patria inclarescit, atque à præsentibus periculis non raro liberatur. Quomodo omnes ferè Heroës, amore patriæ, & cupidine gloriæ, tantas res gesserant, quantas doctorum scripta vix unquam exæquare poterunt.

XVII.

Honor itaque cum tantis laboribus,
tantis

tantis periculis comparatur; In dubio
um facile hic aliquis rapi potest, an
non læsus morte lædentis sit vindican-
dus? Cui sententiæ plurimi patrocina-
tur, vel hoc argumento nisi, quod ho-
nor & vita pari passu ambulent. Ve-
rum hoc minus rectè; nam ex lege
divina & naturali constat omnem pri-
vatam vindictam prohibitam esse. Vin-
dicta autem non est appellanda, cum
quis coactus, necessariam sui defensi-
onem suscipit, atq; hoc modo inva-
sorem occidit. Ut vero defensio in-
culpata censeatur, requiritur. (a) ut
invasor contra justitiam nos impetat
& invadat. (b) ut invasio sit subitan-
ea & violenta, adeo ut non possimus
cedendo fugiendoq; nos tueri, sed
inevitabili necessitate nobis incumbat
vim vi opponere. (c) in ipso congres-
su, non autem eo finito, defensio fi-
at. (d) Nec statim ad eadem prosi-
liatur, si mitior & tutior conceditur
defensionis ratio; nam adesse debet
non ultionis aut cædis, sed defensionis

in

intentio. Quibus observatis, affir-
mare non dubitamus, concessum esse,
invasorem occidere; præsertim cum
omni animantium generi, à natura
inditum est, ut quisq; se, vitamq; su-
am tucatur, declinetq; ea, quæ noci-
tura videntur. Præterea frustra no-
bis vita esset concessa, si eam injustè
impetenti vim non liceret opponere;
utpote quæ semel erepta reparari hic
non potest. De honore autem lon-
gè aliter est habendum. Ille enim
ne ab injusto quidem potentiori nobis
auferri potest; multo minus petulan-
tia alicujus nequam hominis. Ex ta-
li si ignominia nobis illata sit, à ma-
gistratu aboleri potest, inq; illum re-
torqveri, qui nos injuriâ lacefferat.
Unde apparet falsam eorum opinio-
nem esse, honorem colapho verbisq;
contumeliosis tolli sibi persuadenti-
um, eximiumq; fortitudinis decus esse
sanguine humano vilissimam sæpe in-
juriam diluere.

C

Si

gis contemptum honoris simulant,
tanto acriore ejus cupiditate flagrare.
Sic (15) Licinius Sextiusq; cum tribuno-
rum plebis creandorum indicta comitia essent,
ita se gessere, ut negando jam sibi velle conti-
nuari honorem, acerrimè accenderent, ad quod
disimulando preterent plebem. Hoc mo-
do etiam Tiberius principatum, quam-
vis illum neq; occupare confestim, neq; agere
dubitasset, & statione militum, hoc est vi &
specie domina: ionis assumpta, diu tamen re-
cucavit, impudencissimo animo, nunc adhor-
tantes amicos increpans, ut ignaros quantum
bellua esset imperium: nunc precantem sena-
tum, & procumbentem sibi ad genua, ambi-
guis responsis & callida cunctatione suspen-
dens. (16) Præter hæc vitia, in quæ cre-
bro impingunt homines, affectatio
περιωρα & δεξιαι sive primi confessus, in-
ter nobiles æque ac plebejos maximè
familiaris est; ob quam sapissimè ini-
micitiæ litesq; oriuntur maximæ. V.
g. ostentat aliquis canos suos, juveni-
lem alter vigorem istis longè potio-
rem

(15) Liv. 6. 59.

(16) Svet. in Tib. 24.

rem habet. Alium spes sua, æque
atq; alterum res inflant. Ferox est
Ajax robore corporis: Ulysses pru-
dentia & facundia se longè præferen-
dum illi judicat. Aliquis divitias ja-
ctat: animum hic regum opes æquan-
tem. Alii propter genus & majo-
rum dignitates, prærogativam præ cæ-
teris sibi vindicant, occupantes loca
sibi non debita: verum inique tales ma-
jorum merita crepant, nisi & ipsi eo-
rum vestigiis insiterint, non tam titu-
lorum, quam virtutum eorum hære-
des; quin potius eo magis ipsis erube-
scendum est, quod tam turpiter à mo-
ribus parentum degeneraverint. Ita
nulla gens est, nullaq; ætas, quam non
stimulus gloriæ concupiscendæ agitet.
Nemo tamen existimet, quod hic o-
mnem ordinem velimus exclusum, a-
deo ut non liceat viro honesto locum,
quem dignitas ejus sibi vindicat, præ
aliis occupare: utpote cum jus natu-
rale postulat, ut dignissimo cuiq; à mi-
noribus honores officiaq; præstentur.

C;

Qua-

Qualis vero ordo omnium statuum haberetur, voluissemus eque aliquid certi hic proponere; verum quia iste à beneplacito principum conditiones privilegiarum; saepe mutantium & ab antiqua consuetudine non raro deperdet, consultum duximus illud praeterire. An vero quod Bodinus de Rep: (17) tradit, ex amissim rationi congruat, alii viderint.

XX.

Hisce obiter perspectis, nemo inficias ibit ad studium honoris, praeter magnanimitatem etiam Modestiam maximi necessariam esse. EST VERO HAEC, VIRTUS IN MODICIS HONORIBUS EXPETENDIS ET FUGIENDIS MEDIOCRITATEM OBSERVANS: ILLA AUTEM, IN MAGNIS. Hisce enim duabus gubernatricibus nisi dirigatur atque conservetur STUDIUM HONORIS, facile in baratrum teterrimorum vitiorum lapsus pateret.

Quod

(17) Lib. 3. 2.

Quod verum esse, non tantum Doctorum testimonia, verum etiam quotidiana experientia satis superque testatur.

XXI.

Superest jam, ut de altera extremitate hujus virtutis à *Philosophia* scilicet, seu animi abiectione, honorumque contemptu quaedam dicamus: Verum Lucernam hic licet Aesopi adhibita, vix ullum huic vitio deditum inveniemus. Tam alte omnium hominum animis hic pruritus suorum; aestimatio insidet, ut quocumque, oculos animumque converteris, omnes cupidine suorumque gloriae torqueri cernas. Citatur Diogenes Cynicus à quibusdam, tanquam omnis gloriae & honoris contemptor; idem tamen in ambitiosissimis referri meretur: utpote qui omnes mortales derisui habebat, sedque solum illis omnibus sapienterem potiorerumque existimabat. Quid vero de illis statuendum, qui negligunt, quid de se quisque sentiat? Resp.

C4

Hoc

Hoc non solum arrogantis, sed etiam
 hominis dissoluti esse. Nam qui-
 cunq; clarissimorum virorum judicia
 prorsus contemnit, is se meliorem pu-
 tat, quam ut ab iis censeatur: & rectæ
 honestæq; vitæ testimonium negligens;
 eo ipso ostendit, virtutis Studium sibi
 parum cordi esse. Hæc sunt, B. L. quæ
 pro tempore circa præsens argumen-
 tum occurrebant, quæq; eruditorum
 censuræ sistere volui, haud nescius me
 plurima, quæ hic tractari potuissent,
 intermisisse: quod tamen potui præ-
 stare, præstiti, quod non potui, iis re-
 linquo, qui non solum ingenio abun-
 dant & otio, verum & industriam su-
 am in elaborando hoc nobili atq;
 arduo argumento prolixius
 ostendere volunt.

Μόνω γῶ Θεῶ δόξα.

Pe-

*Peregrino & cultissimo juveni,
 Auctori dissertationis hujus,
 Amico Sincere dilecto!*

Dulcis honor, puro qui dele-
 gatus Olympo,
 Heic face mortales nobi-
 liore moves;
 Sed magis æthereas inventus adurere
 mentes,
 Et quæ de cælo plus tenuere suo;
 Felix quisq; tui concepit pectore sensu,
 Felix ingenium quod tuus æstus agit!
 Non viles sectatur opes, pigramq;
 quietem,
 Sordibus infecta seve volutat humo:
 Cognato memor usq; polo sed vindic-
 cat ortum,
 Virtutis rigidam dum parat ire viam.
 Et fatum aspernatur iners, ensesq; mi-
 cantes
 Temnit, ut æternum Sanguine no-
 men emat.
 Si nõ Ausonia bene cultus in urbe fuisses
 Hesperes adhuc patriâ Tibris iisset
 aqvâ. Cs Nec

Nec tot facta bonis legerentur secula
factis.

Secula conspicuis evigilata viris.
Ipsa sed & virtus, quamvis sua maxima
merces,

Te sine jam dudum nomen inane
foret.

Tu fecunda paras animis incendia no-
stris;

Tu nunc Undeni cor juvenile tenes.
Sulcipe sed mitis, qui pulcri accensus
amore,

Ad tua non dubiū limina tendit iter;
Effigiemq; tui, votivæ munera dextræ,
Suspendit sacris nō in amana tholis.

PRÆSES.

IN

Viri-Juvenis

Morum, ac litterarum bonarum cultu
conspicui, Politique,

CAROLI UNDENII,

Amici mei perhonorandi

Dissertationem,

DE STUDIO HONORIS,

Carmen *περὸς Πρωτοδικόν*:

Quid

Quid, quàm GLORIA, dic po-
tentiori est
Magnas quod stimuloqve
fascinoqve

Et tentare animas, & excitare
Possit? Pectoribus ni hic expulisset
IGNIS Divam, HOMINUMQVE frigus,
ipsa,

Quam spectamus, & UNIVERSITAS HÆC
RERUM, vel tenebris sepulta densis,
Æternæ tumuloq; INANITATIS
Esset; vel niti dos parum fuisset
Vultus nunc habitura, seculorum
Post quàm plurima. Quid, quod ipsa
VIRTUS,

Si famæ STUDIUM ibis, ac HONORUM
Sublatum, experiere, Languida quam,
Quàm segniqve manu explicaret actus.
Si parca & mage Romuli nepotum
In lauris manus esset ac triumphis
Dandis, vix foret iste scipionum,
(Sic est credere) itemq; Cæsarum tunc
Proventus. Eho! Disputationi
Hæc, quidquid fuerit, Tuæ relinqvo

MI

Mi Undeni repetenda, fufiusq;
O! conatibus his, precor, faventi,
Præfis auspicio, Augur ipse, Phœbe;
Adsint Pieridum novena turba,
LAURUM & promeriti parent HONORIS.

*L: Mg. sed concitato pletho
cecinit,*

Sveno Dimberg,
Mathem. Prof. Ord.

*Præstantiffimè Domine UNDENI,
Popularis & amico in paucis!*

Sicuti ingenui pectoris est, tam
secundas, quàm adversas res
amici participare; ita & ego
eximiis tuis in Studiis progres-
sibus non possum non gaudere. Præ-
cipuè autem summâ latitiâ afficiebar,
cum audirem Te Disputationem ele-
gantiffimam DE STUDIO HONORIS jam
publicæ censuræ dedisse: ex quâ, ceu
ex lucido Speculo, constare potest, Te
horas tuas segniter non contrivisse, ve-
rum

rum ut probum Studiosum decet, sem-
per Tibi in animum induxisse illud Poë-
tæ: *Hoc opus, hic labor est!* Gratulor er-
go Tibi diligentiam insignem, diligen-
tiâq; parem fructum. Scio enim quàm
sedulam semper bonis literis navasti o-
peram; hæc unicum fuere tuum nego-
tium, hæc etiam otium: hic tuus fuit la-
bor, hæc quies. Faciat itaq; is, quî
omnia facere potis est, ut virtutes istæ,
quarum semina ipse primum indidit
animo tuo, & tu porro ejusdem bene-
ficio ibidem fovisti, majora indies ca-
pian incrementa, quò tandem Tibi
contingat is finis Studiorum tuorum.
cui propria tua Te destinavit industria,
quoquè dignum Te censent omnes
boni.

*Festinâ crenâ L. m. scripsit
Laur: Ab: Lechander,
West Gorb: Acad. Dep.*

UNDENIO suo.

*Siccine perclarum Studium desingis honoris,
Componens vita, dulcis amico, tue?*

Ingt.

Ingeniū, cui non vilia pignora profert,
Pignora Castalius sat bene loca vadis.
Te virtus igitur mox ducet in ardua Pindi
Culmina, & indubium dōcta præibit iter:
Hic ubi de propria contexit sponde coronam
Cincturus crines doctus Apollo tuos,
Sic in sincera amicitia τεκνίηριον
accinebat

P. Bartelius.
Wermландus.

Eidem.

SCilicet ut turpi domus est subjecta
ruinæ,

Quæ nullam solido prændit fundamine
terram;

Sic honor exiguo convulsus labitur
ævo,

Hunc nisi sustineat virtus; quæ sola pe-
rennat,

Fortunamqve minax audenti provo-
cator,

Et casus tristes, tanquam Marpesia ru-
pes

Fis.

Firma insultantes à se diverberat undas.
Hæc jam pertractans, qui sit tibi pecto-
re sensus,

Arguis, UNDENI. Virtutis semita
ducet,

Quæ patet eximii venerandum culmen
honoris.

Felicem laborem is agratlav
voluit

Kenicius Keniciū,
Angermannus.

Pereximie D^{no}: CAROLE UNDEEN,
Conterraneæ Singulariter dilectæ.

Πρέπει ἰὺς ἀνδρώπῳ, λόγον ἴε καὶ διά-
βοσαν λολογίας ἀμασε ἴην πολιτίαν κατὰ τὸ
δυνατὸν ὠφελεῖν, καὶ τῆς ἐκ τῆς ἀρετῆς, καὶ
τῶν σπυδαίων ἰσότων δόξης ἴε καὶ ἐν-
δαιμονίας ὀρέγεσθαι, ἢ δὴ διὰ ἐραθυμίας καὶ
τῶ ὄκνου, ἢ γε τα πάντα δύσκολά ἐσι καὶ χα-
λεπὰ, ἀλλὰ διὰ φιλοσοφίας καὶ μελέτης ἢ
ἅπαντα ῥάδια καὶ δυνατὰ ἐσι. ἀλλθῶς γὰρ
Σενήκης: εἰδαυῶς ἴω νῶ ἀρετῇ ἐι μὴ πειραι-
στυμένῳ συμβαίνει. Καὶ γὰρ ἐν τούτοις ἴοις ἀν-
δρώπῳ

θεώποις καὶ σταυρὸν εἶναι, φίλε πτωχότατε, ἴσ-
 τω τῷ παρόντι σημείῳ τῆς σουτῆ μελέτης ἰκα-
 νῶς ἐφανερώσας, ἐν ᾧ μὲν τὸ πρὸς τὴν ἰατρὴν σπασ-
 δάξιν ἐπαίνεις, καὶ τὸς ἐαυτῆς ἀντιποιουμένους
 ἐπανορθοῖς. ὅσης δὲ τῆς σπασθῆς αἰλήσειεν
 ἐσῶν ἱερολῶν καὶ πόνων χρέϊαν χάρις, αὐτὸ τὸ ἔρ-
 γον δηλοῖ. Ὅταν δὲ ἡ σοφία μόνη τῶν κλημα-
 τῶν ἀθάνατων, αἰγιόσ σοι μέλλω εἶναι τῷ ἐπι-
 τελοῖς ἀξιοπρίως παραμειναι, καὶ ἐπὶ τῷ
 τῷ θεμελίῳ τῶν ἀγαθῶν ἦσαν, καὶ τῶν ἐπιση-
 μίων ἕτως ἐποικοδομεῖν, ἵνα τοῖς τῷ πατρὸς σβ
 τῷ μακαρίῳ ἐπιτηδεύμασιν ἐφάμιλλῃ γενήσῃ.
 Τὸ κατ' ἐμὲ, τούτης τῆς ἐμφύιας σε καὶ ἐγ-
 χειρήματ' συγχάριον σοι σφόδρα, ἐπιθυμῶν
 ὡσπερ τὸ παρὸν, εἴω καὶ τὸ μέλλον ἐν πρηνῶν
 δύναμι. Εὐχόμεν τε τῷ θεῷ εὐτυχεῖς ποιῆσαι
 πάντας τὰς πόνους σε, καὶ τὰ γ' ἄξια ἀθλα-
 εἰς τὸν ἐπιλοιπὸν χρόνον ἐπιδόναι, εἰς τὴν
 ἐαυτῆς δόξαν, ὡφέλημα τε τῆς ἐκκλησίας, καὶ
 τὴν σταυρῆς εὐχρησίαν, ἔρξωσο.

Φιλίας ἕνεκα ἔγραψα

L. J. Lechander.
w. Gorbue.

Quod bene vortat.
 DISSERTATIO PHYSICA
 De
IGNE SVB-
TERRANEO,

Quam
 Cum consensu Amplissima Facultatis Phi-
 losophicae in Regio ad Embeccam Lyceos,
 Sub PRÆSIDIO

VIRI PRÆCELLENTISSIMI
OLAI HERMELINI,

Eloq: & Poëf: Prof: ordin:

Ad publicum Examen modestè defere
PETRUS BARTELIUS,
 Wermelandus.

In Auditorio Majori ad diem Septembr.

Anno M. DC XCI.

Horis ante meridiem Solitis.

DORPATI,
 Typis Johannes Brendeken,
 Acad. Typograph.